

58.

ORD. PHILOS. IN ACAD. VITEBERGENSI

DECANVS

FRANCISCVS VOLKMAR
REINHARD

THEOL. BACCAL. PHILOSOPH. PROF. P. EXTRAORD.
ORD. PHILOSOPH. ASSESSOR ORDINAR.

ET

H. T. COMES PALATINVS CAESAREVS

SOLEMNIA
CONFERENDAE VTRIVSQUE LAVREAE

A. D. XVII. OCTOBRIS A. N. C. MDCCCLXXX

PHILOSOPHIAE ET ARTIS POETICAE
CANDIDATIS


INDICIT

AC BREVITER SIMVL DISPVSTAT

DE VETERVM INDVCTIONE

AD LOCVM DIOGENIS LAERTII

L. III. SEGM. 53 - 54.



VITEBERGAE,

EXCVDIT ADAMVS CHRISTIANVS CHARISIVS

Lit. Graec.

B.
7490,24

Varia de Diogeni
Laertio

ORDINARIUS IN ABBATIA VITERSIENSIS
BENEDICTI
FRANCIS WOLFF
REINHARD

ORDINARIUS IN ABBATIA VITERSIENSIS
BENEDICTI

FRANCIS WOLFF

REINHARD

ORDINARIUS IN ABBATIA VITERSIENSIS

BENEDICTI

FRANCIS WOLFF

REINHARD

ORDINARIUS IN ABBATIA VITERSIENSIS

BENEDICTI

FRANCIS WOLFF

REINHARD

ORDINARIUS IN ABBATIA VITERSIENSIS



DE VETERVM INDVCTIONE

AD LOCVM DIOGENIS LAERTII

LIB. III. SEGM. 53 - 55

DIOGENES LAERTIVS in *vita Platonis*, quae est *de Vitis et Dogm. claror. Philos.* l. III, gratificatus feminae cuidam, Platonis studiosissimae, cui opus suum dicauerat, nonnulla disputat de dialogorum, quos Plato reliquit, argumento atque natura inde a segmento 47. Quod quamquam profitetur facturum sese *σειωδῶς καὶ ἐπὶ κεφαλαίων*, copiosior tamen est in explicando argumentationis genere eo, quo plurimum vsus est Plato, et quod Graeci *ἐπαγωγὴν*, *inductionem* Latini appellant; vid. *segm.* 53 - 55, quem locum fere integrum repetit SVIDAS in verbo *ἐπαγωγή*. Haec DIOGENIS disputatio cum sit paullo obscurior, et abhorrere videatur quodammodo ab his, quae alii philosophi antiqui, nominatim ARISTOTELES, de hoc genere argumentationis praecipunt: putauimus, non

A 2

alie-



alienum fore ab hac opportunitate scribendi, si *quadam disputatiuncula eum illustremus*, et *inductionis*, nobilissimae apud scriptores antiquos, Socraticos maxime, argumentationis *vim omnem atque naturam paullo diligentius exponamus*; praesertim cum DIOGENIS interpretes doctissimi, ALDOBRANDINVS, KVEHNIUS, *Isaacus*, et *Merianus CASAVBONI* ad hunc locum sint breuiores; MENAGIVS vero ex illis suis diuitiis fere nihil depromserit.

Monet igitur DIOGENES *segm. 53. Ed. Menag.* Platonem in argumentando frequenter uti inductione: *ποιέμενος δὴ, inquit, τὰς ἀποδείξεις, πλείω χρῆται τῷ τῆς ἐπαγωγῆς τρόπῳ, ἢ μὴν μονοτρόπως, οἰλλὰ διχῆ. In demonstrando plurimum utitur inductione, eiusque non uno genere, sed duplici* — Quam vera sint, quae de hoc more Platonis obseruat DIOGENES, obscurum esse non potest paullo diligentiori Platonis lectori. Etenim cum Socratem vbique fere disputantem inducat Plato: hoc argumento utitur imitatus Socratis in disserendo consuetudinem, *qui hoc modo sermonis plurimum usus est propterea, quod nihil ipse afferre ad persuadendum volebat, sed ex eo, quod sibi ille dederat, quicum disputabat, aliquid conficere malebat, quod ille ex eo, quod iam concessisset, necessario approbare deberet, ut CICERO ait de Inuent. l. I. c. 31. conf. in Topicis cap. 10. et QVINCTILIANVS de Institut. Orator. l. V. c. 11. §. 3. ed. Gesner.* Scilicet nihil est hoc genere accommodatius dissimulationi illi Socratis, quam seruauit in omni vita; vnde non modo PLATONIS libri sunt hoc argumentationis modo referti, verum etiam XENOPHONTIS, quae de Socrate reliquit, *memorabilia.*

Nomen ἐπαγωγῆς, (raro scribitur *παρραγωγῆς*, vid. varietas lectionis ad *Topica CICERONIS* cap. 10.) illustrari posse videtur duobus modis. Ac primo quidem duci poterit *ab ipsa argumentationis natura.* Nam *illecebrae* omnis generis, et quae facile mouent hominum
animos



animos atque impellunt, Graecis dicuntur ἐπαγωγά. Nobilis locus, qui hunc usum illustrat, est in ΕΡΙΣΤΕΤΙ *Enchir.* cap. 34, ubi ΕΡΙΣΤΕΤΗΣ, πρόσεχε, inquit, μή σε ήττήση τὸ προσωνές αὐτῶ, καὶ ήδύ, καὶ ἐπαγωγόν, ubi Scholiastes, a *Cel.* ΗΕΥΝΕ editus: ἐπαγωγόν ἅπαν λέγεται τὸ πείθον, εἴτε κάλλος εἴη, εἴτε λόγος, εἴτε ἄλλο τι τοιῶτον. Sic etiam ΧΕΝΟΡΗΘΝ vsurpat in *Memorab.* l. II. c. 5. §. 5. et SVIDAS ἐπαγωγὰ interpretatur ἀπατηλὰ, πιθανὰ, ἐφολκά. Atqui hoc ipsum πιθανόν ARISTOTELES tribuit huic potissimum argumentationi *Topicor.* l. I. c. 10, ubi inductionem, ait, πιθανωτέραν, καὶ σαφεσέραν, καὶ κατὰ τὴν αἴσθησιν γνωριμωτέραν esse syllogismo. Latinos etiam sic uti verbo *inducere*, satis constat; vid. v. c. CICERO *Philipp.* II. c. 32. et CAESAR de B. G. l. I. c. 27. cet. — Sed altera ratio magis placet. Videtur enim nomen ἐπαγωγῆς inde ortum, quod haec argumentatio *exemplis* constat et *similitudine*. Nam *afferre similitudinem*, Graecis est ἐπάγειν εἰκόνα seu παρόδειγμα. Sic est apud ΧΕΝΟΡΗΘΝΤΕΜ in *Oeconom.* c. 17. §. 15. ubi Socrates, ἀτὰρ, inquit, ἐνθυμησῶμα — οἷόν ἐστι τὸ εὔ τὰς εἰκόνας ἐπάγεσθαι. Vnde hoc verbum frequenter vsurpatur de iis, qui hoc genere argumentationis vsi, exempla afferunt; vid. ARISTOTELES *Rhetor.* l. I. c. 2. et *Topicor.* l. VIII. c. 2. CICERO autem eo loco, quem laudauimus supra, ubi copiosus est in illustranda inductionis natura, utitur cap. 32. formula, aliquid *inducere* per similitudinem, et allata exempla ipsa *inductioes* appellat. Vnde inductio seu ἐπαγωγή nomen videtur habere ab exemplis, quibus tota continetur. Sed reuertamur ad DIOGENEM.

Formas igitur inductionis antequam copiosius persequitur, notionem ipsam ἐπαγωγῆς ita describit: ἔστι μὲν γὰρ ἐπαγωγή λόγος, διὰ τινων ἀληθῶν τὸ ὁμοιον ἑαυτῶ (Suid. αὐτῶ) ἀληθῆς οἰκείως ἐπιφέρων. *Est autem inductio sermo, e veris quibusdam simile sibi verum apte efficiens.* Illud οἰκείως non satis perspicue ab interprete Latino transla-



tum est *proprie*; rectius ALDOBRANDINVS in nota conuertit *accommodate*. Exponendum est *apte, conuenienter*; vernacule dixeris; auf eine natürliche passende Art. Sic legitur apud XENOPHONTEM in *Oecon. c. 2. §. 17.* εὐρον ἐπισκοπῶν πάνυ οικείως ταῦτα γιγνόμενα, quod nostri recte eloquerentur: *ich habe gefunden, dass dies sehr natürlich zugehe.* Vnde etiam ARISTOTELES *Topicor. l. VIII. c. 2.* de ipsa inductione verba faciens, παραδείγματα οικεία dicit *exempla apta, perspicuitatem adiutantia.* Vult igitur DIOGENES hoc, in inductione postulari quaedam *non dubia*, quae habeantur tam manifeste vera, vt facile concedantur a quolibet; ab his esse *progreduendum ad alia similia*, quae sint et ipsa, ob similitudinem earum rerum, quae antea concessae fuissent, probanda; idque fieri debere *conuenienter et apte*, hoc est sic, vt similitudo eius rei, cuius confirmandae causa fiat inductio, cum inductionibus illis primis, seu allatis exemplis, perspicue intelligatur.

Cum hac definitione iuuat iam comparare alias, a vetustis philosophis propositas, vt vis ac natura inductionis planius perspiciatur. Ac primo quidem CICERONIS de hac argumentatione disputatio bene conuenit cum his, quae LAERTIVS praecipit. Breuiter tangit inductionis naturam in *Topicis c. 10.* vbi, *sunt, inquit, similitudines, quae ex pluribus collationibus, perueniunt, quo volunt — haec ex pluribus perueniens, quo vult, appellatur inductio.* Intelligitur facile, CICERONIS collationes esse τὰ ἀληθῆ DIOGENIS h. e. *exempla quaedam manifesta, e quibus eliciatur aliud simile verum.* Sed vberius hanc rem persequitur CICERO alio loco, *de Inuent. l. I. c. 31. 32.* vbi argumentationis, de qua quaeritur, naturam ita finit: *inductio est oratio, quae rebus non dubiis captat assensionem eius, quicum instituta est: quibus assensionibus facit, vt illi dubia quaedam res, propter similitudinem earum rerum, quibus assensit, probetur.* In iis, quae sequuntur,

tur,

tur, illustrat hanc definitionem exemplo aliquo, et leges huius argumentationis exponit cap. 32. Re ipsa conspirat amice cum DIOGENE CICERO; nam *res non dubiae*, quas memorat, sunt ea, quae *vera* appellat LAERTIVS; atque haec non dubia afferuntur, ut vterque sciscit, ad firmandum aliud, istis simile. In eo discedit CICERO a DIOGENE, quod in definiendo aliquam habuit rationem consuetudinis Socraticorum, qui, more suo, interrogantes eos, quibuscum disputabant, ita uti solebant inductione, ut manifestis quibusdam exemplis captantes aliorum assensionem, tacerent id, quod vellent effici, et sic imprudentes ab eo, quod concessissent, ad id, quod non concessuri fuissent, si praevidissent, deducerent. Vnde etiam leges, quas e. 32. scribit iis, qui sint inductione vsuri, plane sunt accommodatae interrogationibus Socraticis, et ductae maximam partem, ex ARISTOTELIS *Topicor.* l. VIII. c. I. 2. — CICERONEM presse sequitur FABIVS, ut ipse fatetur, *Institut. Orator.* l. V. c. II. vnde de inductione, haec disputat §. 3: *nam illa, scilicet inductio, qua plurimum Socrates est vsus, hanc habuit viam; cum plura interrogasset, quae fateri aduersario necesse esset, nouissime id, de quo quaerebatur, inferebat, cui simile concessisset. Id est inductio.* Add. §. 27, vbi de interrogationibus Socraticis iis praecipit, quibus inductio olim maxime solebat exornari. Ex his omnibus satis intelligitur cum hoc, in omni inductione, auctoribus philosophis vetustis, a manifestis exemplis veniendum esse ad dubia quaedam, quae propter similitudinem cum antea allatis probanda sint: tum illud manifestum est, notionem inductionis, a LAERTIO et CICERONE traditam, patere latissime, et locum habere in quavis rerum similitum collatione, eo consilio instituta, ut a manifestis lucem accipiant, iisque confirmantur incerta.

Sed ab his dissentire videtur in finienda inductionis notione ARISTOTELES, grauissimus profecto scriptor in hac causa, cum ob in-
credi-



credibilem ingenii sollertiam et subtilitatem, qua singula persequitur, cum propterea, quod non vno loco hac de re praecipit. Delibabimus iam ex hoc genere pauca, vt rectius intelligatur, quod infra planum faciemus, *DIOGENIS decreta a placitis ARISTOTELIS non esse diuersa.* Ac primo quidem perspicuam *ἐπαγωγῆς* notionem tradit *ARISTOTELES Topicor. l. I. c. 10*, vbi inductionem appellat *τὴν ἀπὸ τῶν καθέκαστα ἐπὶ τὰ καθόλου ἔφοδον*, seu, vt Suid. habet, *πρόσδοον*, *progressionem a rebus singulis ad vniuersas.* Praecipit itaque, in omni inductione a formis, alicui generi subiectis, argumentando veniendum esse ad genus ipsum. Sic igitur, hoc enim exemplum statim subiicit, ex eo, quod peritus gubernator, et hanc artem doctus, est optimus, itemque auriga, efficitur enuntiatio patens latius, vt in quauis re, quicumque sit exercitatus, is etiam sit optimus. Haec vero inductionis notio manifeste *angustior* est ea, quam *DIOGENES* tradit, cum *CICERONE* et *QUINCTILIANO*. Etenim quam argumentationem illi cerni putant in quauis rerum similibus collatione, eam *ARISTOTELES* non nisi ad eas res trahit, *quae sint generi cuidam subiectae tamquam formae*, et quarum collatione genus ipsum confirmetur, vel omnino e quibus efficiatur placitum aliquod late patens et vniuersale. Hac difficultate motus *SVIDAS*, quamquam praemiserat locum *DIOGENIS*, tamen, vt solet interdum satis negligentè res varias, pugnantes etiam, vndiquaque congerere, postquam attulit etiam hunc e *Topicis ARISTOTELIS* locum, addit: *διὸ ἄχ ὑγιῶς λέγουσιν οἱ λέγοντες, τὴν ἐπαγωγὴν λόγον εἶναι ἀπὸ ὁμοίᾳ ἐπὶ τὸ ὁμοιον· ἔ γὰρ ὁμοιον τὸ καθόλου τοῖς ὑπὲρ αὐτὸ τῆς δὲ τῶ καθόλου δείξεως χάριν ἢ ἐπαγωγὴ μάλισα.* Reuocat igitur et ipse inductionem ad id genus argumentationis, quod a rebus singularibus progreditur ad vniuersa: vnde addit: *ὁ γὰρ λόγος ὁ διὰ τῶν καθέκαστα τὸ καθόλου δεικνύς καὶ πιστέμενος, ἔτός ἐστιν ἐπαγωγὴ.* Atque hanc notionem copiosius confirmat



ARISTOTELES alio loco, vbi subtiliter exponit inductionis natu-
ram, eiusque tradit formulam aliquam vniuersalem. In *Analyticis*
igitur *Prior.* l. II. c. 23. inductionem ita definit: ἐπαγωγή μὲν ἐν ἐστὶ,
καὶ ὁ ἐξ ἐπαγωγῆς συλλογισμὸς, τὸ διὰ τῶν ἐτέρων θάτερον ἄκρον τῶν
μέσων συλλογισασθαι, h. e. *inductio, et ratiocinatio ex inductione fit,*
cum alterum extremum tribuitur medio propter alterum. Scilicet in
omni inductione censet inesse debere tria; primo quidem enuntiatio-
nem seu rem aliquam dubiam, quam *primum extremum* appellat; de-
inde exempla quaedam singularia, quae possint cum enuntiatione du-
bia conferri, haec *tertium* dicit; denique haec exempla quamdam ha-
beant, necesse est cum primo extremo similitudinem; hanc appellat,
medium, ac praecipit, propter tertium concludendum esse, primum
extremum inesse in medio, hoc est, ab illa similitudine non abhor-
rere; vnde paucis interiectis addit: ἡ δὲ, sc. ἐπαγωγή, δείκνυσσι διὰ
τῶν τρίτων, τὸ ἄκρον ἐν μέσων, sc. εἶναι. Igitur vniuersalis quaedam for-
mula inductionis ex mente ARISTOTELIS, si primum extremum
notaueris littera A, medium littera B, tertium denique littera C,
haec est:

Omnia, quae insunt in C, conueniunt τῶν B

Iam cum A simile sit τῶν C

Cogitur, etiam A conuenire τῶν B.

Liceat hanc formulam illustrare exemplo, quod est apud P L A-
TONEM *de Republ.* l. V. pag. 658. Ed. Fic. Socrates igitur disputans
eo loco de optima reipublicae forma, ostendit, eam ciuitatem esse
praeclare constitutam, in qua sint omnia ciuibus omnibus communia,
vt nemo dicere possit τὸ ἐμὸν, καὶ τὸ ἐκ ἐμὸν, hoc meum, hoc alienum

B

est:



est; haec enuntiatio est extremum illud primum, quod notauimus littera A. Ad firmandum hoc placitum affert exemplum corporis humani, quod sit ita coagmentatum, vt, afflicta parte aliqua, doleat corpus integrum, et omnia sint membris omnibus communia; in hoc exemplo inest tertium, seu τὸ C. Iam vero hoc exemplo facile efficitur, quo arctius sint deuinctae alicuius totius partes, eo perfectius esse totum ipsum; haec enuntiatio est medium, seu τὸ B. Cum igitur τὸ C, seu corporis humani, sit aliqua similitudo cum τῷ A, seu ciuitate; consequitur, vt τὸ A propter hanc similitudinem contineatur τῷ B, hoc est, vt ea ciuitas sit optima, cuius ciues sint arctissimo vinculo copulati. Iam cum hoc modo in omni inductione ratiocinemur, facile intelligitur, inductionem progredi a singulis rebus ad vniuersa quaedam, vnde paucis interiectis eodem loco obseruat ARISTOTELES: δεῖ δὲ νοεῖν, τὸ γὰρ τὸ ἐξ ἀπάντων τῶν καθεκασον συγκείμενον ἢ γὰρ ἐπαγωγὴν διὰ πάντων. Est autem τὸ C intelligendum de aliquo e singulis omnibus composito; nam inductio efficitur ex omnibus. Scilicet illud extremum, quod significauimus littera C, complecti debet in inductione iusta singulas formas, ei generi, quod medium appellauimus, subiectas; conf. quae eadem de re disputat *Topicor.* l. VIII. c. 2. et *Rhetor.* l. I. c. 2. Vnde intelligitur, in omni inductione, si ARISTOTELEM audiamus, a formis concludi ad genus, adeoque laborare, quae supra viderimus, DIOGENIS et CICERONIS de inductione praecepta, et nimis late patere, cum inductionis naturam tribuant cuius rerum similium collationi, etiam ei, vbi, praetermissio genere, a similitudine vnus formae ad alteram fiat progressio. Hinc videtur factum, vt KVEHNIVS ad locum DIOGENIS indignaretur, ac pronunti-

nunti-

nuntiaret, quae de inductione disputet Diogenes, ea esse *deducta e fonte non liquido, sed inquinato*. At haec perperam dici, nec esse inter ARISTOTELEM et LAERTIVM pugnam aliquam, planum faciemus ex his, quae sequuntur apud DIOGENEM; ad hunc igitur revertamur.

Proposita itaque inductionis *notione*, pergît: δύο δὲ τῆς ἐπαγωγῆς εἰσι τρόποι, ὅτε κατ' ἐναντίωσιν, καὶ ὁ ἐκ τῆς ἀκολουθίας. *Sunt autem inductionis genera duo; alterum, quod fit e contrario; alterum, quod est e consecutione*. Haec inductionis diuisio, quam in iis, quae sequuntur, illustrat exemplis DIOGENES, ipsi videtur propria, nataque e librorum Platoniorum lectione. Est etiam, si rem volueris ad viuum refecare, *vitiosa*, cum, quam dicit κατ' ἐναντίωσιν, ea ne sit quidem legitima inductio, sed contorta et fallax conclusiuncula, vt statim docebimus — Ο μὲν ἔν, pergît, κατ' ἐναντίωσιν ἐστίν, ἐξ ἧ τῷ ἐρωτῶμένῳ περὶ πᾶσαν ἀπόκρισιν ἀκολουθήσει τὸ ἐναντίον. *Inductio, quae fit e contrario, est, cum respondentis, quicquid responderit, ostenditur contrarium eius, quod ipse vult*. Affert talis argumentationis exemplum hoc: ὁ ἐμὸς πατὴρ τῷ σῷ πατρὶ ἤτοι ἕτερός ἐστιν, ἢ ὁ αὐτός· εἰ μὲν ἔν ἕτερός ἐστι τῷ ἐμῷ πατρὸς ὁ σὸς πατήρ, πατρὸς ἕτερος ὢν, ἐκ ἄν εἴη πατήρ· εἰ δὲ ὁ αὐτός ἐστι τῷ ἐμῷ πατρὶ, ὁ ἐμὸς ἂν εἴη πατήρ. *Pater meus aut alius est, quam tuus, aut idem; si alius est tuus pater, quam meus, cum sit a patre diuersus, non poterit esse pater; si idem est, qui meus, meus pater erit* — Hoc exemplo manifestum est, quod paullo ante diximus, inductionem κατ' ἐναντίωσιν esse vitiosam argumentationem, et quidem ex eo genere, quod *disiunctiuum* appellat recentior consuetudo; in quo, praetermissio membro



vno, possunt incautis offundi tenebrae, quamquam argumenti ipsius
 nulla prorsus vis sit. Etenim verum est illud: meus pater aut idem est
 tuus, aut a tuo diuersus; iam vbi perguit: si tuus a meo diuersus est,
 meus non poterit esse tuus; si idem est cum meo, meus erit pater:
 omittit tertium aliquod, nempe hoc, eundem esse posse vtriusque pa-
 trem simul. Eadem est ratio alterius, quod affert DIOGENES, exempli;
 καὶ πάλιν, inquit, εἰ μὴ ἐστὶ ζῶον ὁ ἄνθρωπος, λίθος ἂν εἴη, ἢ ξύλον.
 ἐκ ἑστὶ δὲ λίθος, ἢ ξύλον ἔμψυχον γάρ ἐστι, (Suid. ἔμψυχος, sed
 nihil mutandum) καὶ ἐξ αὐτῶν κινεῖται ζῶον ἄρα ἐστίν. εἰ δὲ ζῶον
 ἐστίν, ζῶον δὲ καὶ κύων (lege ὁ κύων, vt res ipsa loquitur, et Suidas
 habet) καὶ ὁ βῆς, εἴη ἂν καὶ ὁ ἄνθρωπος ζῶον, καὶ κύων, καὶ βῆς.
*Si animal homo non est, erit lapis, vel lignum; atqui non est la-
 pis vel lignum, cum animum habeat, ac se ipse moueat; est igitur
 animal. Iam cum etiam canis et bos animalia sint, erit et homo ani-
 mal, et canis et bos. Scilicet vitium inest in eo, quod nonnisi duae
 formae subiiciuntur in hac argumentatione generi animalis, praeter-
 missis reliquis omnibus. Relinquitur ergo, quod inductionis genus
 LAERTIVS appellet τὸ κατ' ἐναντίωσιν, id esse vitiosum, nec hoc nomine
 dignum. Cuius generis vnde notionem hauserit, statim indicat ipse:
 καὶ ἕτος μὲν ὁ τῆς ἐπαγωγῆς κατ' ἐναντίωσιν καὶ μάχην τρόπος, ὃ
 ἐχρῆτο, ἔπρὸς τὸ δογματίζειν, ἀλλὰ πρὸς τὸ διελέγχειν. Hoc est ge-
 nus illud inductionis per contrarium, ad rixas compositum; quo uti-
 tur, sc. Plato, non in exponendis suis placitis, sed in refellendis
 aliis. Scilicet dissimulandum non est, Platonem saepe numero vti
 artibus iis, quas in Sophistis vulgo solet fatis acerbè reprehendere,
 vt conclusiunculis quibusdam contortis, tamquam praestigiis, ho-
 mines*

mines

mines ab his, quae clara sunt, depellentem fingat Socratem, eique tribuat aliquam Sophistae personam. In talibus igitur locis occurrunt inductiones illae mancae et fallaces, quas DIOGENES appellauit κατ' ἐναντίωσιν.

Veniamus ad *genus alterum*, verum illud ac praeclare a DIOGENE expositum, et ostendamus, quam bene conueniant eius praecepta cum placitis ARISTOTELIS. Ο δὲ τῆς ἀκολουθίας, inquit, ἐστὶ διπλῆς· ὁ μὲν τὸ ἐπὶ μέρους ζητούμενον, διὰ τῆς ἐπὶ μέρους ἀποδεικνύς· ὁ δὲ τὸ καθόλου διὰ τῆς ἐπὶ μέρους πιστεύμενος. *Illud autem genus, quod fit e consecutione, duplex est; alterum quidem id, quod de forma quadam, generi subiecta, quaeritur, per aliam formam demonstrat; alterum, genus ipsum per formas confirmat.* Inde igitur ab hoc loco veram inductionis naturam eiusque formas exponit DIOGENES, cum, vt iam monuimus, illud genus, quod antea memorauerat, propterea tantum videatur excogitasse, quod tales argumentationes vitiosas, sed aliquam tamen mentitas inductionis speciem, inuenerat saepe in libris Platonis. Quae vero nunc de inductione tradit praecepta, ea, quam vera sint, intelligitur ex his, quae addit. Pergit enim: καὶ ἔστιν ὁ μὲν πρότερος, ῥητορικὸς, ὁ δὲ δεύτερος, διαλεκτικὸς. *Primum genus est rhetorica inducchio, alterum dialectica.* Igitur rhetoricae inductionis naturam ponit in eo, *si forma quaedam, subiecta generi, confirmetur collatione alius formae, quae eodem genere contineatur, adeoque absit omnis progressio a rebus singularibus ad vniuersalia.* Manifestum autem est, talem inductionem posse alio nomine *exemplum* appellari. Hoc illustratur iis, quae statim addit: οἷον ἐν τῷ πρώτῳ ζητεῖται, εἰ ὁδὸς ἀπέκτεινεν ἀπόδειξις, τὸ εὐεῆσθαι αὐτὸν κατ' ἐκείνον τὸν χρόνον (Suid.



τὸν καιρὸν) ἡμαγμένον. Sic quaeritur in prima, *utrum iste interfecerit; argumentum est, eum fuisse illo tempore cruentum caede.* Sententia DIOGENIS haec est, quae rhetorica inductione demonstrantur, ea non esse debere enuntiationes late patentes et vniuersales, sed singulares, et, quas nostra consuetudo dicit, *indiuiduales*; atque has firmari aliquo exemplo, veluti si ex eo, quod quis fuerit aliquo tempore cruore conspersus, demonstretur, eum esse caedis, isto tempore factae, auctorem, quoniam signa quaedam culpa in eo reperiantur. Quae vero causa sit, cur rhetorica inductio nonnisi in *singularibus* versetur, ad vniuersalia nunquam assurgat, ita exponit LAERTIVS ῥητορικὸς δ' ἐστὶν ὁ τρόπος τῆς ἐπαγωγῆς ἕτος, ἐπειδὴ καὶ ἡ ῥητορικὴ περὶ τὰ ἐπιμέρους, ἢ τὰ καθόλου τὴν πραγματείαν ἔχει. Dicitur haec inductio propterea rhetorum, quod omnis rhetorice in particularibus versatur, ab vniuersalibus aliena est. Scilicet τὰ ἐπιμέρους sunt *variae quaestiones et genera causarum*, quae tractat rhetorice, ut semper, non quid vniuerse aequum, iustum, pulcrum, vel iniquum, vitiosum, tetrum sit, anquirat, sed quid in hac vel illa causa, (nostri appellant *einen Individualfall*,) sit iudicandum, demonstrat. Haec est vis verborum, quae statim addit: Ζητεῖ γὰρ ἢ περὶ αὐτῆ τῆ δικαίης, ἀλλὰ περὶ τῶν ἐπιμέρους δικαίων. Neque enim hoc quaerit, quid vniuerse sit iustum; sed quid sit iustum in hac vel illa causa. SVIDAS post verba αὐτῆ τῆ δικαίης addit ἀπλῶς, non male, ut videtur ΚΥΡΗΝΙΟ. Equidem receptae lectioni faueo, quae est concinnior; Plato quidem centies sic loquitur, nunquam addito verbo ἀπλῶς. Ex his omnibus consequitur, quae inductio a DIOGENE dicatur rhetorica, eam nonnisi exempli vel similitudinis habere vim, quo genere solent oratores illustrare, quae dicunt.

dicunt. Consentit CICERO, qui *Topicor.* c. 10. alterum similitudinis genus inductionem appellat, quae ex pluribus collationibus perueniat, quo velit; alterum vero in eo cerni ait, *cum una res uni, pari pari comparetur.* Haec vero postrema est rhetorica illa inductio, quam DIOGENES memorat; quamquam TVLLIVS non sit vsus nomine.

Sed haec omnia, quamquam videntur aliena ab iis, quae supra commemorauimus ex ARISTOTELE, recte se habent, cum ARISTOTELES ipse de exemplis, vel similitudine vsurpet inductionis nomen, eamque diuisionem, quam LAERTIVS habet, sua auctoritate confirmet. Ac primo quidem in *Rhetor.* l. I. c. 2. postquam monuerat, omnem argumentationem in dialecticis dici vel ἐπαγωγὴν, vel συλλογισμόν, in rhetorica, docet, haec genera aliud accipere nomen; syllogismum appellari enthymema; exemplum vero inductionem rhetoricam; καλεῖ δ' ἐνθύμημα μὲν, ῥητορικὸν συλλογισμόν, παράδειγμα δὲ ἐπαγωγὴν ῥητορικὴν. πάντες δὲ τὰς πίσεις ποιῶνται, διὰ τῶ δεικνύουσι, ἢ παραδείγματα λέγοντες, ἢ ἐνθυμήματα. Ex hoc loco, quem iam notauerat ALDOBRANDINVS, intelligitur, propositam a DIOGENE diuisionem non abhorre ab ARISTOTELIS decretis, vel vsu vetusto. Nec pugnant cum hoc loco, quae alibi praecipit ARISTOTELES, vbi παράδειγμα, seu exemplum, distinguit ab inductione. Sic in *Analyt. Prior.* l. II. postquam c. 23. formulam dederat inductionis vniuersalem, quam proposuimus supra: adiungit c. 24. similem formulam exempli, et in fine capitis demonstrat, qua in re exemplum ab inductione differat. Nam quod exemplum diuersum esse dicit ab inductione, ex eo non consequitur, vt, cum vtriusque argumentationis aliqua sit similitudo

litudo



litudo, non possit interdum *communis inductionis nomine* appellari; quod ARISTOTELEM ipsum fecisse, locus docet, quem paullo ante protulimus e *Rhetoricis*. Sic etiam capiendus est locus alius *Topicor.* l. VII. c. 1. vbi seiungit quidem similitudinem ab inductione; sed ab inductione, angustius dicta, et quam Dialectici appellant; cum enim latius accipitur nomen ἐπαγωγῆς, exemplum simul comprehendit.

Supereft igitur inductionis, quam modo memorauimus, strictius ac proprie dictae natura, quam LAERTIVS ita exponit: ὁ δὲ ἕτερος ἐστὶ διαλεκτικός, προαποδειχθέντος τῆς καθόλου, διὰ τῶν (Suid. rectius, vt videtur, τῆς) ἐπὶ μέρους οἷον ζητεῖται, εἰ ἡ ψυχὴ ἀθάνατος, καὶ εἰ ἐκ τῶν τεθνεώτων οἱ ζῶντες, ὅπερ ἀποδείκνυται ἐν τῷ περὶ ψυχῆς διατινος καθολικῆ, ὅτι ἐκ τῶν ἐναντίων τὰ ἐναντία. *Alterum genus est dialecticum, in quo ante omnia genus aliquod probandum est per formas; vt cum quaeritur, vtrum animus sit immortalis, et vtrum viuentes exoriantur e mortuis. Hoc in libro de animo demonstratur enuntiatione late patente: contraria e contrariis exoriri. Praecipit igitur, inductionis dialecticae hanc esse vim, vt a singulis progrediatur ad vniuersa, et recte poscit enuntiationem aliquam vniuersalem, allatis exemplis confirmatam, demonstratamque; haec enim est illa ἀπὸ τῶν καθέκαστα ἐπὶ τὰ καθόλου ἕφοδος, quam ARISTOTELEM sciscere supra vidimus. Sic in exemplo, quod affert, inest enuntiatio vniuersalis, contraria fieri e contrariis, ad quam peruentum est, vt statim vberius docebitur, per singula. Quod vero ait, immortalitatem animi hac enuntiatione demonstrari ἐν τῷ περὶ ψυχῆς, id ad Platonis *Phaedonem* pertinet, quem sermonem scriptores antiqui, vt est ex omni antiquitate longe celeberrimus, vulgo τὸν περὶ τῆς ψυχῆς, sc. διάλογον, vel τὸ περὶ ψυχῆς γράμ-*

γράφει

γράμμα, vel βιβλίον appellant; vnde CICERO *librum, qui est de ani-*
mo dicit, *Tuscul. I. c. II.* qua de re plura congeffit FISCHER, *Vir. Cel.*
 in obseruatione ad indicem eius sermonis, non praetermissio hoc ipso
 LAERTII loco. Ipsa vero disputatio, quam exempli loco ex eo dia-
 logo affert, est subtilis illa et amplissima argumentatio, quam Socra-
 tes explicat inde a §. 48. *ed. Fisch.* — Enuntiatio autem vniuersalis et
 late patens, quam inesse debere cuius inductioni docet LAERTIVS,
 inuenienda est *per collationem exemplorum singulorum*, et ex his effi-
 cienda; hoc breuiter sic eloquitur: *καὶ αὐτὸ δὲ τὸ καθόλου κατασκευά-*
ζεται ἐκ τινῶν ὄντων ἐπὶ μέρους (rectius, vt videtur, Suidas: *ἐκ τινῶν*
τῶν ἐπὶ μέρους, nam vulgata lectio videtur ex errore orta, temere
 repetito antegressae syllabae sono) *οἷον ὅτι τὸ καθεύδειν ἐκ τῶν ἐγγηγο-*
ρένων, καὶ ἀνάπαλιν, καὶ τὸ μείζον ἐκ τῶν μικροτέρων, καὶ ἀνάπαλιν
τέτω δὲ ἐχρήτο εἰς τὴν τῶν ἑαυτῶν δοκούντων κατασκευὴν. *Atque id*
ipsum vniuersale efficitur e particularibus quibusdam; veluti quod so-
pnus e vigilia, et contra, maius e minore, et contra, exoritur. *Hoc*
inductionis genere usus est Plato ad exponenda sua placita. Haec igi-
 tur petita sunt ex ea Platonis disputatione, quam iam indicauimus;
 ibi enim e pluribus exemplis efficitur hoc, contraria e contrariis oriri;
 vid. inprimis §. 51. vnde consequi putat Plato illud, quod in eo sermo-
 ne studiosissime firmat ac varie, vt e morte vita oriatur, adeoque
 morti superstes sit animus humanus. Quae vero hic disputantur a DIO-
 GENE de natura inductionis dialecticae, ea, facile intelligitur, quam
 accurate conueniant formulae illi, ex ARISTOTELE supra allatae,
 et quam sint ad hanc regulam exacta. Etenim quam dicit in inductio-
 ne ante omnia adesse debere *vniuersalem enuntiationem*, eam ARISTO-



TELES *medium* appellat; *exempla* vero, quibus firmatur haec enuntiatio, ab ARISTOTELE dicuntur *tertium*; *demonstranda denique res*, cuius caussa afferuntur *exempla*, *extremum primum*; vt in exemplo, a DIOGENE allato, enuntiatio, contraria oriri e contrariis, *medium* est; hoc firmatur exemplis, e somno vigiliam, e minore maius, cet. exoriri, in his igitur inest *tertium*; ostenditur denique, eodem modo e morte vitam nasci, adeoque animum humanum immortalem esse; in hoc est *primum extremum*, quod sic ostenditur esse in medio. Atque hoc modo facile possunt inductiones omnes, quae apud scriptores Socraticos frequenter leguntur, reuocari ad hanc formulam et exigi.

Supereft, vt ex his, quae disputauimus ad locum DIOGENIS, eliciamus nonnulla, quae iam satis manifesta putamus. Ac primo quidem liquido constat, DIOGENEM *de inductione non praecipere perperam et male*, vt KVEHNIO visum, si discesseris ab eo genere, quod appellat κατ' ἐναντιώσιν. Docuimus enim, hoc genus a DIOGENE *fingi*, et alienum esse ab inductionis natura — Deinde manifestum est, nomen ἐπαγωγῆς apud scriptores antiquos *duplicem habere potestatem*, quarum altera pateat late, et comprehendat etiam exempla quaeuis; altera, in angustum conclusa, non nisi legitimam aliquam argumentationem indicet. Illam in definiendo secuti sunt DIOGENES, CICERO, QVINCTILIANVS; hanc nomini vulgo subiicit ARISTOTELES — Nunc etiam poterit iudicari illud, quod solet a Dialecticis magistris recentioribus praecipere, quae apud nos dicatur *inductio*, eam ab antiqua illa Socraticorum esse diuersam. Qui si hoc volunt, inductionis genus, quod a nobis tradatur, alienum esse ab ea inductione, quam antiqui *rhetoricam* appellant, praecipunt illi quidem verissime; rhet-

rhetoricam enim inductionem, ostendimus, esse exemplum quodcum-
 que demum. Sed quae apud veteres appellatur *dialectica* inductio, ea
 profecto *minime diuersa est ab inductione, quam nos dicimus.* Etenim
 quod veteres, cum praecipunt de legibus dialecticae inductionis, prae-
 termittunt id, quod nostri solent inculcare studiose, *exemplum nullum*
esse praetermittendum in plena et legitima inductione, id non habet
 hanc vim, ac si aliter iudicassent ea de re. Eos enim et ipsos postulasse
 exemplorum *omnium* plenam et absolutam enumerationem, quamquam
 in inductionis definitione id vulgo taceant, intelligitur ex his, quae ARI-
 STOTELES disputat Topicor. l. VIII. c. 2. vbi praecipit, si quis in
 inductione multarum rerum, cum multa sint allata exempla, tamen
 voluerit negare, ab his posse ad genus totum perueniri: ab eo postu-
 lari posse, vt exceptionem asserat, hoc est, exemplum aliquod, ab
 eo genere, quod demonstrare voluerimus, abhorrens. Sic praecipere
 ARISTOTELES non posset, nisi putasset, inductionis vim cerni in eo,
 vt *omnia* exempla enumerentur, eamdemque frangi, si ostendi possit,
 exemplum aliquod, idque alienum a genere toto, praetermissum esse.
 Hoc expresse docet eo loco, quem attulimus iam supra ex *Analyt.*
Prior. l. II. c. 23. *δεῖ δὲ νοεῖν, inquit, τὸ γὰρ τὸ ἐξ ἀπάντων τῶν κα-*
θέκασον συγκείμενον ἢ γὰρ ἐπαγωγή διὰ πάντων. Tertium igitur de-
 bet ex *omnibus* formis, generi subiectis, esse conflatum, quae si
 omnes enumeratae fuerint, legitimam inductionem efficiunt. Cete-
 rum lubenter fateor, scriptores antiquos, cum vtantur hoc inductio-
 nis genere, raro enumerare omnia exempla, quod apud nos solent
 Dialectici postulare acerbius; fatis enim, illi existimabant, firmam
 esse inductionem, si, propositis exemplis pluribus, aduersarius non
 habe-



habeat, quod excipiat, neque in eo videntur errasse. Sed hoc ipsum fecit, vt recentioribus videretur antiqua inductio plane diuersa ab hac nostra: quae opinio, si discesseris ab eloquendi modo et ornatu eo, quem antiqua inductio accipit ex interrogationibus Socraticis, a vero alienissima est.

Sed veniendum est ad id, cuius causa haec scriptiuncula prodit. Est igitur *conferendis summis in philosophia honoribus* ab Ordine Philosophico in hac academia dictus dies proximus XVII. Octobris. Pro munere itaque, quo Amplissimus Ordo per hoc semestre nos ornauit, eos omnes, qui voluerint exstare monumentum aliquod publicum diligentiae et eruditionis suae, inuitamus et hortamur, vt id petant a nostro Ordine, eumque sibi sperent aequissimum. Quae res vti cedat feliciter, eaque fiat ad communem omnium, et cuiusque priuatam utilitatem ingens accessio, vehementer optamus.

P. P. FESTO VISITAT. MARIAE, A. P. G. N.

CI^OICCLXXX.



